



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

LXXXV. Privilegia, & Indulg. Ord. Minorum de Observantia pro Locis
Calvarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

LXXXIV.

Prohibetur, ne quis imprimat, vel vendat sine facultate Ministri Gen. Breviarium Ord. Minorum S. Francisci de Observ.

Const. ed. 1698. Nov. 10. P. 8. agitur de usu librorum Divini Officii Romae impressorum.

Dat. 21. Nov. 1696. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa Prohibitionis.

CUM sicut dilectus Filius Bonaventura Pocius Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, ipsi Breviarium Romanum, Seraphicum nuncupatum ad usum personarum utriusque sexus ejus obedientiae, seu directioni subiectarum a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praeposita approbata in Alma Urbe Nostra ea, qua decet sedulitate, & castigatione typis imprimi novissime fecerit, ac proinde illud propediem, benedicente Domino, quam emendatissimum in lucem proditurum sit: dictus vero Bonaventura Minister Generalis vereatur, ne opus longo labore, magnaue industria dispositum, atque perfectum novarum editionum occasione optato sine frustretur, mendosaeque, aut illegitimae varietates sive Typographorum negligentia, sive Revisorum incuria, sive alia ex causa in posterum obrepant. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsam Bonaventuram Ministrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, universis utriusque sexus Christianidelibus, praesertim vero Typographis, Librorum Impressoribus, & Bibliopolis ubilibet existentibus, sub excommunicationis latae sententiae, in Nostra vero temporali ditone commorantibus, etiam sub quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis Typorum, & librorum omnium Camerae Nostrae Apostolicae irremissibiliter applicatum poenis per contrasacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis, Apostolica auctoritate, tenore praesentium interdicimus, & prohibemus, ne Breviarium praefatum ad usum omnium, & singulorum utriusque sexus personarum praedictae obedientiae, seu directioni subiectarum, ubicumque locorum degentium sicut praemittitur, approbatum, posthac in perpetuum absque speciali ejusdem Bonaventurae, & pro tempore existentis dicti Ordinis Ministri Generalis, aut ab eo causam habentium licentia in scriptis qualibet vice obtinenda, & in ipso Breviario integre una cum eisdem praesentibus imprimenda typis imprimere, aut ab aliis in posterum vendere, seu venale habere, vel proponere quoquomodo audeant, seu praesumant, & nihilominus personae illae ex supradictis quibus in vim Decreti, seu Decretorum memoratae Congregationis Cardinalium alio Breviario uti minime fas est, Breviarii sine praedicta licentia impressis, aut vulgatis ut nequeant sub poenis contentis in Ordinis praedicti Constitutionibus, aliisque per dictum Bonaventuram, & pro tempore existentem Ministrum Generalem super hoc infligendis. Mandantes propterea Venerabilibus Fratribus Patriarchis,

Preces Ministri Gen.

Prohibitio praed. sub excommunicatione, aliisque poenis.

Praeceptur ad Religiosis, ne utantur Breviario sine licentia impresso.

Mandatur locorum Or-

Archiepiscopis, & Episcopis, ac quibuscumque Locorum Ordinariis, necnon in Statu Nostrae Ecclesiasticae dilectis Filiis Nostris, & Apostolicae Sedis de Latere Legatis, seu eorum Vicelegatis, aut Praesidentibus, Gubernatoribus, Praetoribus, aliisque Justitiae Ministris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & Locorum Status praedicti quatenus eidem Bonaventurae, & pro tempore existentis Ministro Generali, seu ab eo causam habentibus praedictis in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes quandocumque ab ipso Bonaventura, & pro tempore existentis Ordinis hujusmodi Ministro Generali requisiti fuerint, poenas praedictas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur.

dinaris, & justitiae Ministris, ut poenas infligant.

§. 1. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clausula.

§. 2. Volumus autem, ut praesentium transumptis, seu exemplis, etiam in eodem Breviario impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem fides ubique Locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatorum die XXI. Novembris MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Declaratur in Constitutione Inn. XI. circa privilegia, & Indulgentias Ordinis Min. S. Francisci de Observ. comprehendi eorumdem Loca Viae Crucis, seu Calvariae.

LXXXV.

Praed. Const. hic refertur, & ed. fuit 1686. Sep. 5. P. 10. Ab hoc Pontifice concessa fuit Indulg. plen. perp. Ecclesiae S. M. Angelorum Civitatis Assisinae. ed. 1695. Aug. 18. P. 5. Et a Clem. XI. alia Indulgentia conceditur Ecclesiis Provin. Romanae Const. ed. 1701. Sept. 14. P. 1. Ab Innoc. vero XIII. Const. ed. 1723. Jul. 12. P. 3. confirmantur quadam gratia Provinciae Poloniae.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 5. Dec. 1696. An. 6.

ALIAS a fel. rec. Innocentio Papa XI. praedecessore Nostrae ad preces dilecti Filii Francisci Diaz a Sancto Bonaventura tunc Commissarii Generalis Curiae pro familia Ultramontana Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum super confirmatione quarundam Litterarum Apostolicarum eidem Ordini, ejusque Ecclesiis, Confraternitatibus, Domibus, locis, ac omnibus, & singulis utriusque sexus personis obedientiae, seu directioni Ministri Generalis Ordinis hujusmodi subiectis circa privilegiorum, Indulgentiarum, & gratiarum concessionem, & communicationem, respective concessarum, emanarum Litterarum in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur videlicet.

§. 1. INNOCENTIUS PAPA XI. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus Diaz a S. Bonaventura Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac in Romana Curia pro Ultramontana familia Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum subiecta Commissarius Generalis, quod privilegia, gratiae, concessionem, favores, & Indul-

Constitutio Inn. XI. qua confirmatae fuerunt Litterae Clem. VIII. Pauli V. Urb. VIII. & Successorum circa Privilegia, & Indulgentias.

gentiae.

gentiæ, etiam plenariæ, ac penitentiarum relaxationes, cateraque Indulta, Ordinibus, Congregationibus, Confraternitatibus, Domibus, Ecclesiis, Locis, Benefactoribus, ac omnibus, & singulis utriusque sexus personis obedientiæ, seu directioni prædicti Ministri Generalis Fratrum Minorum subjectis olim ab Apostolica Sede concessa, seu communicata per plurium Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum Constitutiones, & præcipue per Literas fel. rec. Clementis VIII. incipientes -- *Ratio Pastoralis &c.* Anno 1597. expeditas, ac Pauli V., quæ incipiunt -- *Injuncti Nobis &c.* Anno 1609. concessas, & Urbani VIII. Romanorum Pontificum prædecessorum pariter Nostrorum incipientes -- *In plenitudinem &c.* Tertio Idus Maji 1625. datas, confirmata, & sub aliquibus modificationibus innovata fuerunt: unde præfata utriusque sexus Personæ obedientiæ, seu directioni dicti Ministri Generalis subjectæ, quibus memorata communicatio Privilegiorum, Indulgentiarum, & concessionum, tam inter se, quam cum aliis Ordinibus, Congregationibus, & Societatibus etiam Jesu, ac Confraternitatibus concessa fuit juxta Clausulas, & præscriptum dictarum Literarum Apostolicarum, & cum restrictionibus in illis appositis, & non aliter ea usæ fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut præmissa firmius subsistant, & conserventur, præfatus Franciscus Commissarius Generalis Curie prædictas Clementis, ac Pauli, & Urbani prædecessorum Literas cum Clausulis in eisdem contentis, a Nobis innovari, & omnes aliorum Romanorum Pontificum successorum concessiones ad favorem dictorum Ordinum, Congregationum, Confraternitatum, Locorum, Benefactorum, & aliarum utriusque sexus personarum prædictæ obedientiæ, seu directioni subjectarum expeditas Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsius Francisci Commissarii Generalis Curie votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione, quam Vener. etiam Frater Noster Alderanus Episcopus Portuensis ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector eisdem Cardinalibus super præmissis fecit, prædictas Clementis incipientes. *Ratio Pastoralis &c.*, ac Pauli, quarum initium -- *Injuncti Nobis &c.*, & Urbani prædecessorum, quæ incipiunt -- *In plenitudinem &c.* aliorumque Romanorum Pontificum successorum Literas super præmissis respectively emanatas, dummodo tamen sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac posterioribus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Regularibusque Ordinis prædicti Institutis non advenierint auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes easdem præfatas Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & in-

tegrus effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus. Non obstantibus quibuscunque. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Septembris 1686. Pontificatus Nostri Anno Decimo -- I. G. Card. Slusius.

§. 2. Postmodum vero pro parte ejusdem Francisci Nobis exposito, quod a nonnullis prætendebatur in præfata communicatione privilegiorum, Indulgentiarum, & gratiarum memoratis personis prædictæ obedientiæ, seu directioni subjectis, sicut præmittitur, concessa minime comprehendi loca, & Ecclesias Terræ Sanctæ, aliarumque partium Orientis existentium extra Jerusalem; ideoque pro ejus parte Nobis supplicato, ut loca, & Ecclesias hujusmodi ab eadem communicatione minime excludi declaramus: Nos supplicem Libellum Nobis super præmissis porrectum ad Congregationem Venerabilium pariter Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum remisimus pro voto; ipsa vero Cardinalium Congregatio per suum Decretum die 16. Julii 1695. emanatum præinsertis Innocentii prædecessoris Literis perpensis, censuit, si ita Nobis placuisset, prædicta loca, & Ecclesias Terræ Sanctæ, aliarumque Orientis extra Jerusalem esse comprehensa, seu comprehensa in dictis privilegiis, Indultis, & Indulgentiis, servatis tamen in omnibus, & per omnia forma, & tenore earundem Literarum, factaque Nobis subinde per tunc existentem Secretarium memoratæ Congregationis de præmissis relatione, Nos ipsius Congregationis Sententiam approbavimus, prout in dicto Decreto plenius dicitur contineri.

§. 3. Cum autem, sicut dictus Franciscus Nobis denuo nuper exponi fecit, post Decretum supradictum adhuc nonnulli dubitent, an pia loca Viæ Crucis, seu Calvarii nuncupata a personis supradictis adinstar Stationum Montis Calvarii vigore diversorum privilegiorum eis ab hac Sancta Sede (ut asseritur) concessorum erecta in communicatione præfata comprehendantur. Nobis propterea idem Franciscus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Franciscum amplioris favore gratiæ prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinari, de secundo dictorum Cardinalium consilio, & attenta relatione, quam dilectus modernus Commissarius Generalis Curie dicti Ordinis eisdem Cardinalibus, super præmissis fecit, etiam præfata loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii in supradictis Innocentii prædecessoris Literis comprehendi, ac proinde frui, & gaudere posse Indulgentiis, & privilegiis in Literis hujusmodi concessis, & ex-

Ab hoc Pontifice approbatum fuit Decretum Congregationis Concilii, qua declaratum fuit in prædd. Literis comprehendi loca in Oriente.

Preces Procuratoris Gen., & causa declarationis.

Declaratio pro locis Viæ Crucis, seu Calvarii.

1696.
& 1697.

pressis, earum tamen tenore servato, auctoritate Apostolica tenore presentium decernimus, & declaramus; salva tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis Cardinalium.

Clausula.

§. 4. Decernentes pariter easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earundem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die V. Decemb. MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LXXXVI.

Revocantur Privilegia a Superioribus Religiosis concessa in Indiis Occident. contra Ordinum, vel S. Sedis Constitutiones.

Clem. X. Const. ed. 1670. Jun. 21. P. 1. declarata fuere nonnulla Privilegia Regularium. Et Clem. XI. Const. ed. 1719. Sept. 7. P. 19. revocantur privilegia concessa a Nuncio in quibusdam Regnis.

Dat. 12. Jan. 1697. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

AD pastorale fastigium meritis licet imparibus divina dispositione evecti, in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut Christianifideles Altissimi obsequiis sub suavi Religionis iugo mancipari juxta laudabilia eorum instituta prospere dirigantur, illiusque firmiter insistentes, laetioribus in dies, benedicente Domino proficiant incrementis; illa proinde quae regulari ipsorum observantiae noxia esse noscuntur, opportuna provisionis nostrae Ministerio evellere satagimus, sicut pia Orthodoxorum Regum multiplicibus in hanc Sanctam Sedem meritis fulgentium vota postulant, & Nos omnibus maturae considerationis trutina perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis felicem progressum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Preces Regis Catholici, & causa revocationis.

§. 1. Cum itaque sicut pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, in quorundam Ordinum Regularium Provinciis, quae in Indiis Occidentalibus, & insulis eis adjacentibus eidem Carolo Regi subjectis consistunt, is late invaluerit abusus, ut plurimi Provinciarum hujusmodi Religiosi, Magisterii, aliorumve graduum praerogativis, sive etiam variis exemptionibus, ac gratis sibi a suis Superioribus, contra, & praeter regularia Ordinum praedictorum instituta collatis, seu concessis fruantur non sine gravissimo Religiosae humilitatis, quam iidem Ordines profitentur, detrimento. Nobis propterea ejusdem Caroli Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune

providere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur, qui Regularem disciplinam ubique, adeoque etiam in remotioribus ab eadem Sede partibus vigere, & omnem illius relaxationis viam pracludere summopere cupimus, de opportuno remedio providere, ac piis ipsis Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & quascumque Magisterii, aliorumve graduum hujusmodi praerogativas, necnon cujusvis generis exemptiones, ac gratias quomodocumque nuncupatas quibusvis Provinciarum praedictarum Religiosis cujuscumque dignitatis, qualitatibus, & conditionibus, ac cujusvis Ordinis Congregationis, & Instituti existant, quocumque titulo, praetextu, causa, & occasione contra, & praeter Ordinem Congregationum, & Institutorum quorumlibet, Apostolicasve Constitutiones hactenus quoquo modo collatas, seu concessas, sine ullo tamen eorum praerogativo, qui illas sibi a Sede Apostolica conferri, seu concedi obtinuerunt, auctoritate Apostolica tenore praesentium revocamus, cassamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, ac in futurum dispositiones Constitutionum hujusmodi inviolabiliter observari praecipimus.

Revocatio praed. a qua eximantur Privilegia Apost.

Clausula.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes Literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti, aliive quilibet in praemissis forsan interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, nec causa propter quas praesentes emanarint sufficienter adducta, verificata, & justificata fuerint, seu ex alia quacumque, etiam quantumvis legitima, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas apertitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine concessio, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicae Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praerogativa, & potestate fungentes, & functionarios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, Ordinum, Congregationum, & Institutorum praedictorum, co-

rum